

2. † **R. P. Thomas Donnelly (1895-1946)**

Nondum annus a subita morte P. Rectoris Ed. Ring, vix 46 annos nati, effluerat, cum communitas Bishop Eton cum magno suo dolore eodem fere modo, contra omnem expectationem, amisit suum Ministrum P. Thomam Donnelly, vix quinquagenarium.

Natus est piis et catholicis parentibus in oppido Blackpool, comitatus Lancastrensis, d. 10 Iun. 1895. Studia humaniora sub cura Fratrum Maristarum in Dumfries Scotiae incepit et in nostro iuvenatu Bishop Eton absolvit. Quod ardentem desideraverat, obtinuit elevatione ad sacerdotium in nostro Instituto kal. Mart. 1920.

Adscriptus vicissim variis domibus Provinciae, se dedit cum zelo iniunctis operibus et domi et in missionibus. In iuvenatu aliquo tempore fuit Lector. In studentatu historiam ecclesiasticam docuit. Cum permissu Superiorum adiuvabat Societatem Catholicae Veritatis (*Catholic Truth Society*), frequenter praedicando et unum alterumve libellum scribendo, ut de nostra Congregatione et de S. Clemente. Praeterea conferentiis de altioribus studiis aderat et una vice coram doctis illis sacerdotibus suam de S. Alfonso commentationem legit. A catholicos complures instruxit in doctrina catholica et Ecclesiae verae reconciliavit.

Observantiae Regularum addictissimus, per aliquot annos Magister novitiorum laicorum fuit in Erdington.

Sabbato 7 Septembris 1946 Liverpoolium sese contulit negotii domestici causa et re composita ad limen portus, vulgo *Pierhead*, pervenit cum intentione redeundi domum. Sed eheu! priusquam vehiculum intraret, ex aliquo defectu cordis subito collapsus est. Portatur ad nosocomium generale, ubi quattuor medici et complures nosocomi frustra eum curant. Sacerdos saecularis ex ecclesia cathedrali vocatus ei administrat ultima sacramenta. Nuntio tristi recepto etiam ex Bishop Eton duo Patres accurrunt et usque ad h. 6 sequentis diei, festi Nativitatis B. M. V., prope eius lectulum remanent, qua hora P. Donnelly placide exspiravit. Corpus eius translatum est in Bishop Eton, ibique tumulatum praesente P. Provinciali, tota communitate et cum magno concursu cleri et populi. R. I. P.